Nobilissimo Amplissimoque viro
CONSTANTINO HUGENIO Equiti etc.
S. D.
VINCENTIUS FABRICIUS.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Abunde pulchrum ac magnificum mihi fuerat, Vir Nobilissime, si patienter legere posses ingeptias meas: nunc, ut te non minus humanitatis, quam eruditionis summum ostenderes, etiam exquisitis laudibus dignas iudicasti. Id adeo probant honorifici isti sermones tui, qui de me, meisque studijs etiam apud praecipuos huius Reipublicae viros habiti ad meas quoque aures nuper pervenerunt. Litteras autem tuas ad Amplissimum HEINSIUM si me absque rubore legisse credis, iam peius de modestia mea sentis, quam nuper sensisti de doctrina. Iam luculentum illud carmen tuum, quo me tuus candor adeo supra merita extollit, tanti apud me est, ut solo isto immortalitatem adeptus mihi videar. Ego, ut pro tam insignibus officijs gratias aliquas agerem, post aliquot mensium intervallum denuo advocavi Musas meas. quas si minus ornatas, quam pro expectatione conspexeris, putabis, homini per Febres, Catharros, tot morbos tot symptomata volutato non magis in proclivi esse terse, et ad vestrum stomachum scribere, quam sine pice esse ijs, qui in navi habitant. Parum profecto abest, quin metuam, ne hac ratione multum de tua, quam de me conceperas, opinione deminutum sit. Sed omnino haud facile veretur severitatem tuam, qui candorem incomparabilem novit. Quem nuper tam copiose et penitius perspexi, ut reliquas virtutes tuas referre, quia hercle infinitae et inusitatae sunt, illius iniuriam credam. Illud summopere te rogo, Nobilissime HUGENI, ut me, et studia mea, eorumque, si qua occasio occurrat, successus eo favore et benevolentia promovere pergas, quo (nihil enim possum ardentius dicere) hactenus coepisti. Vale felicissime. Nortvici. A.D. VI Kal. Aug. CIƆ IƆCXXXIII.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Fabricius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/807

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Fabricius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/807

Nobilissimo Amplissimoq; Viro, Con-
stantino Hugenio, Equiti, Zulichemi
Domino, Illustrissimo Principi Arausiæ
a Consilijs, et Secretis, Domino et Amico
æternum colendo

Hagæ-Comitis.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Fabricius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/807

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Ad CONSTANTINUM HUGENIUM Equ. etc.
VINCENTII FABRICII Elegia.

Dum furit, et trepidas Gradivus concutit urbes,
Dum volitat circum castra Batavus eques,
Clamosos inter lituos, et sæva tubarum
Murmura, quæ profugus horret et odit Iber,
HUGENI calamum nostræ meruere Camœnæ,
Et partes habuit blanda Merilla suas.
Sepositis Patriæ rebus, cum Principe magno
Fabricij Musis dextera tanta vacat.
Sive aliquis genius nostris non abfuit ausis:
Seu dominæ debent, quod placuere, meæ.
Scilicet haud unquam stulte elegisse videtur,
Qui sua cum multis gaudia iuncta videt.
At quantum est retulisse tuas, Vir maxime, laudes!
Materiem quantum est carminis esse tui!
Hoc demum est medium Polluce et Castore poni,
Quaque patent cœli sidera, ferre pedem.
Ipsa meo nuper modice laudata libello
Nunc etiam debet plura Merilla tibi.
Illa suis campis insueta, et mollibus arvis,
Te duce nunc didicit castra tubasque sequi.
Tu mediam Batavis docuisti incedere turmis,
Et strepitus tantos, militiamque pati.
Te duce magnanimo propior cum Principe vadit.
Te duce nunc aulam possidet illa tuam.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Fabricius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/807

Nunc etiam pulchram tecum circumspicit Hagam,
    Miraturque locum, delitiasque loci.
Heic quoque quod capit pridem haud ignota vagari
    Praedicat officij munus habere tui.
Nos procul e nostro miramur littore plausus.
    Hinc quoque laetitiae non nihil inde venit.
Nec nihil ingenij videor, nec laudis habere:
    Et levis ardori blandior ipse meo.
Inprimis quod saepe favet Hugenius istis:
    Dulce decus Musae, praesidiumque meae.
Me licet a patria totum diviserit aequor,
    Totque interiectis millia fluminibus,
Longe à complexu matris, geminaeque sororis,
    Quicquid et est ista dulcius urbe mihi;
Tot tamen amotis te compensavimus unum:
    Et videor nulla parte carere mei.
Quin mihi si fragilis permenso tempore lucis
    Ultima in hoc Parcae littore fila legant,
Quamvis, quae lacrimis perfundat funera iustis
    Adsit cum misera nulla parente soror,
Non tamen ingratas inglorius ibo sub umbras;
    Nec tumulus nostro nomine nullus erit.
Ipsa suis manibus fugientes claudet ocellos,
    Summaque defuncto dona Merilla feret.
Sed titulum busto carmenque HUGENIUS addet:
    Fabricius, donec vixit, amator erat.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Fabricius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/807

Et quoque, quod nondum iuvenis, quod mollibus annis
Supprimar indigna, forte queretur, humo.
Quicquid erit, seu nunc æstates currere plures,
Sive hanc postremam Juppiter esse volet,
HUGENI transire tuis mea tempora fatis,
Si modo non videor degener esse, iubet.

Nortvici. in secessu meo.

CIↃIↃCXXXIII.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Fabricius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/807

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Fabricius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/807